

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
0083

0081

0087

0077

72

Descendimus ergo paene usque ad locum, in quo exercitum
dimiseramus, et ibi stetimus et deliberavimus, an gyrate
montem et ascendere vellemus, non enim habuimus nobiscum
ductorem, qui nobis verum ascendendi locum ostenderet. Casu
autem transivit in clivo montis supra nos grandiusculus Sarra-
cenus, quem ad nos vocavimus et unum madinum ei dedi-
mus, ut nos in montis cacumen duceret. Juvenis ergo accepto
argento ad locum ascensionis ire coepit, et nos sequebamur
eum, quod ut viderunt nostri ductores, egressi de umbra
magis vocibus clamarunt prohibentes nobis ascensum, di-
centes, se iam velle a loco recedere. Sed et peregrini reliqui,
qui in umbra remanserant, stabant et nos revocare conaban-
tut et instare recessum simulabant. Sed nos juvenem secuti
sumus et clamores eorum non advertimus, imo male con-
tentи fuimus de clamoribus fratrum nostrorum peregrinorum.
Audivi ab uno de militibus, qui nobiscum erant, qui dixit:
et, si non vererer Sarracenos, quorum furorem timeo, ad
peregrinos post nos clamantes me verterem eisque mala verba
dicere; quod si adhuc perseverantes clamarent, nuda poste-
riora eis ostenderem. Hoc dicens magnum inter nos risum
concitavit. Interea elongati sumus ab eis, ita, quod clamores
eorum audire non poteramus. Vidimus tamen eos ascendere
equos et asinos, ac si recedere vellent sine nobis, vidimus
etiam quosdam peregrinos post nos currere, qui obdurationem
nostram videntes spreto clamore Sarracenorum nobiscum man-
serunt. Processimus ergo et ab aspectu exercitus venimus
ad locum, ubi ascensus montis incipiebat, et sequentes exspec-
tavimus, ut omnes simul essemus. Incepimus ergo ascendere
per clivum altum. Porro unus de peregrinis contra montem
genua flexit, et Deo invocato (**209 A**) sic flexis genibus
ascendere incepit erecto corpore et extensis brachiis in modum
crucis et ita per totum horridum et aspergium clivum
ascendit, quod nec pedibus nec manibus se juvabat, sed quando
necessitas eum coegit, cubitis innitebatur, ita, quod manus ad
sui supertractionem non apposuit, nisi aliter non esset possi-
bile eum ultra procedere, sicut quandoque in praecipiis.
Quantum laborem et cruciatum hic peregrinus habuerit in illo
ascensu, testabatur motus vehemens de uno latere in aliud,

0092

0072

0132

0032

0182

0582

1082

Ende

Anfang

